

NUMMUS CASTRENSIS
 FERDINANDI ARCHIDVCIS AV-
 striæ, expeditionem in Ungariam, contra Tur-
 cas, suscipientis: Cusum Anno
 Christi 1556.



Ferdinandus Imper. certior factus de rebus ad Sige-
 thum & Babozam, in inferiori Ungaria, per Tur-
 carum exercitum gestis, magnâ conceptâ spe, ubi
 occasione non deesset, hostem eo anno debellari
 posse, copias ex novis tam peditum quam equitum
 delectibus, in suæ ditionis atque imperij provinciis
 cogi, curâ intentissimâ, jubet: quibus qui præessent,
 tam ex Ungaris, quam Germanis, & magnitudine
 rerum gestarum, & militari gloriâ clarissimi, non

decerant. Unus tamen inter cæteros, magno incensus gloriæ æstu, Impe-
 ratoris filius Ferdinandus, blandâ precum elegantîâ patrem eò adduxit, ut
 paternâ dignatione huic expeditioni destinaretur. Imperator filium pien-
 tissimè adhortatus est, ut Dei, victorias largientis, auxilio anniteretur, com-
 munemque patriam à Turcarum impiis armis, & imminente exitio vindi-
 caret. Anno igitur præsignato, Haly Basâ, Solymanni jussu, arcem Sige-
 thensem obsidente, cum exercitu in Ungariam profectus, tale fortitudinis
 & industriæ militaris specimen edidit: ut hostis, magnanimi Principis hu-
 jus adventu, consternatus, obsidionem soluerit, & cum universo exercitu
 retrò cedere coactus fuerit. Ferdinandus verò aliquot locis, partim expu-
 gnatis, partim receptis, arcem comiteatu bellicis que tormentis, & firmio-
 ri militum præsidio firmans, ad patrem victor rediit. Idem postea, cum So-
 lymano postremam suam, sibi que fatalem expeditionem, in Vngariam
 suscipiente, & Maximiliano secundo Imper. cum Imperij copiis, positus ad
 Jaurinum, castris, ei obviam processuro, fratri validam equitum turmam,
 cum insigni nobilitate suis stipendiis in auxilium adduxit, supremique le-
 gati munere laudabiliter functus est. Fortitudinis insigne hoc documen-